

particulam ὁμοιωσις siquidem illa non tam similitudinem, quàm.  
æqualitatem significet, vide *Luc. 6. v. 36. Matth. 5. v. 48. Levit. 11. v.*  
*44. 1. Joh. 1. v. 7. &c.*

XXXXXII.

Inquis: *Æqualis non est idem, cui est æqualis, nihil enim sibi  
ipsi dicitur æquale. Christus autem patri est æqualis Phil. 2. v. 6.*  
E. Resp. *Æqualis non est idem scil. quoad personalem existentiam,  
potest autem idem esse illi cui est æqualis quoad essentiam.*

XXXXXIII.

Notandum tandem, unitatem voluntatis in patre filio  
& Spiritu Sancto non excludere sed præsupponere unitatem  
essentiæ, cum in illa fundetur. Unde hi tres non dicuntur unus  
(quæ vox absolutè posita significat personam) sed unum sc. ra-  
tione unius & indivisæ essentiæ. Sic ergo concludimus: *Qui sunt  
unum ratione summâ & perfectissimâ, illi sunt unum non tantum vo-  
luntate sed & essentiâ, quippe essentiæ unitas est unitatissima u-  
nitas, quâ ulla unitatis ratio arctior dari non potest. Atqui hi  
tres sunt summâ & perfectissimâ ratione unum, quod negari non  
potest. Ergo hi tres sunt unum non tantum voluntate sed &  
essentiâ. Cui gloria in seculorum secula.*

A M E N.

